

hiberi Palla, sicuti in pluribus faciunt Ecclesiis?

S. C. resp.: „Negative.“

N. 4681 ad 4 die 7. Apr. 1832.

3) In Expositione SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. V. n. 4, 5.

4) Materia.

Ad dubium: an Palla confici possit ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, quem vocant Mussulo?

S. C. resp.: *Lectum.*

N. 2267 die 15. Mart. 1664.

In Sacrificio missae uti non potest palla a parte superiori drappo serico cooperta. n. 3575 ad 6 die 22. Jan. 1701.

Vd.: *Paramenta* (materia, decr. n. 4563.).

PALLIUM.

1) Altaris.

Vd.: *Altare* (Ornatus.).

2) Archiepiscopi, Episcopi, Metrop., Patriarchae.

I. Asservatio.

Vd.: *Pallium* (Episcopo concessum.).

Curent Archiepiscopi, ut pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio et auctoritas, digne et honorifice asservetur, puta serico involutum ac in capsula intus et extra pulchre ornata vel serico obducta inclusum tamquam Venerabile ipsius Archiepiscopi insigne mysticis significationibus plenum.

Caer. Ep. l. i. c. XVI. n. 7.

II. Benedictio et Traditio Romae.

Benedictus PP. XIV.

Rerum ecclesiasticarum origines quo altius ex sacrae antiquitatis memoria

repetimus, eo magis illas et solidis fundamentis inixas et sublimes non minus quam vetusta institutione venerabiles ipsaque disciplina et ritu graves et religiosas agnoscere et comprobare gaudemus. Ita porro de s. Palliis, quae Rom. Pontifices Patriarchis et Archiep. concedi ipsisque in Curia praesentibus tradi, absentibus autem transmitti consueverant, a primis usque Ecclesiae saeculis complura exstant certissima monumenta; nec dubium est, quin eorum traditioni sive transmissioni solemniter praemissa fuerit benedictio. Quia tamen huiusmodi benedictionis ritus nonnullas mutationes in evolutione temporum subiisse dignoscitur, officii nostri iudicavimus illius formam perpetuis futuris temporibus observandam constituere ac firmare tenore praesentium.

Inter speciales praerogativas Basilicae s. Petri in Vaticano haec recensetur, quod *in ea tantum vigilantur Pallia*. Mopheus autem Vegius, Canonicus ejusdem Basilicae piam supplicationem describit, quae ab ipsius Basilicae Clero cum cantu psalmodiarum poenit., Litaniarum aliarumque precum fiebat, dum ad Pallia benedicenda procedebatur, atque addit, nocturnas vigiliis ea occasione ita celebrari consuevisse, quemadmodum in pervigilio festi SS. Ap. Petri et Pauli. De huiusmodi vigiliis similiter mentio est in Libris ss. Caerem. Ecclesiae Romanae, ubi *l. I. sect. 10. c. 5.* dicitur, quod ipsa Pallia demittebantur in s. B. Petri Confessionem, ut supra illius Corpus consisterent: *Per Canonicos Basilicae ponuntur super Corpora Petri et Pauli Ap. sub altari majore, ubi factis de more vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde restitunt Subdiaconis, qui in loco honesto ea conservant.*

Erat quippe in anteriori fronte altaris dictae confessionis parva quaedam veluti fenestra et in huius solo intra

ipsius altaris molem foramen erat, aeneae arcae ad perpendicularum respondens, in qua s. apostolorum Principis Corpus requiescit.

Verum quum mutata deinceps fuerit Arae majoris forma, nocturnarum autem vigiliarum disciplina magna ex parte in desuetudinem abierit, inductum fuit, ut praedictae Basilicae Archipresbyter Vicarius in Episcopali Ordine constitutus vel alius Episcopus ejusdem Basilicae Canonicus, qui matutinis Officiis in festo SS. Petri et Pauli in Pontif. assisteret, idem Benedictionem Palliorum faceret, cujus ritus talis erat.

Pallia benedicenda auratae pelvi imposita ab ipsius Basilicae Vat. Canonico Altarista nuncupato comitantibus duodecim ejusdem Basilicae Beneficiatis ad confessionem B. Petri deferantur ibique locabantur super mensam stragula pretiosa coopertam inter duo candelabra accensis cereis subjecta. Episcopus vero, qui matutinis Officiis adsisteret, post cantatas Laudes Pontificalibus adhuc indutus unacum assistentibus Ministris paratis et Clero Basilicae ad Confessionem ipsam descendebat, Pallia aspergebat aqua benedicta, tum incenso adolebat ac demum sol. benedictionis preces super illa recitabat. Pallia vero sic benedicta per totam festivitatis octavam super corpus Apostoli requiescebant; expleta autem octava a Sacrae Curatoribus removebantur et inclusa capsulae holoserico coccineo coopertae recondebantur in Oratorio Secretarii, in quo SSrum reliquiae asservantur; clavis autem capsulae tradebatur primario Pontificis Caer. Magistro.

Ritum hunc Nos ipsi semper observari vidimus, nisi quod anno Jubilaei 1725 22. Febr. in festo Cath. s. Petri Antiochiae Bened. PP. XIII. huiusmodi Palla per se ipsum benedicere maluit. Cujus nos exemplo excitati duobus proxime elapsis annis in pervigilio

Natalis SS. Ap. Petri et Pauli vespertinis Officiis in ipsa Bas. Vat. persolutis huiusmodi Pallia benedicimus certo ordine ac ritu, quem in posterum quoque servare decrevimus atque etiam a Successoribus Nost. R. PP. seu resp. ab eo S. R. E. Cardinali, qui forsitan absente Pontifice Vesperarum solemnitate in Pontif. adstiterit, observari et adhiberi tenore praesentium mansuro statuimus.

Primum itaque volumus et mandamus, ut singulis annis Palliorum numerus sufficiens pro Ecclesiarum opportunitate in Vigilia Apost. de mane a praedictae Basilicae Canonico Altarista cum consueto comitatu ad confessionem B. Petri deferatur ibique decenter, ut diximus, collocetur, ipsaque Pallia post vespere ejusdem diei in ipsa Basilica maximo ritu celebratas a SS. Pontifice, si praesens fuerit, sin minus ab eo Cardinali, qui Pontificalia peregerit, benedicantur.

Expletis itaque vespere descendat ad Confessionem unus ex Auditoribus caesarum Palatii ap., s. subdiac. vestibus indutus praecedentibus duobus servientibus armorum, Mazzertiis Papae nuncupatis, comitantibus hinc inde duobus aliis Auditoribus Collegis cum supparo et superpelliceo et subsequentibus Pontificiae consist. Aulae Advocatis; atque is praeparata Pallia coram Pontifice aut Cardinale pontif. exercente offerat et sistat. Decet enim huiusmodi munus injungi dictis Auditoribus, quorum videlicet Collegii Decano singulis annis traduntur Agni, ex quorum velleribus contexenda sunt s. Pallia; nec minus convenit adesse consist. aulae Advocatos, ad quos singulari privilegio pertinet pro Pallii concessionem apud Pontificem in Consistorio residentem perorare.

Ipsae autem Pontifex seu illius vice Cardinalis Pallia praedicta more solito asperget aqua benedicta tum incenso

IV. Depositio post missam.

Si Celebrans sit Archiepiscopus, dat benedictionem sine mitra et deponit pallium super altare ac postea dicit: *Initium etc. Caerem. Ep. l. II. c. VIII. n. 81.*

Data benedictione et publicata Indulgentia Diaconus Evang. Archiepiscopo extrahit pallium et super altare deponit. *Ibid. l. II. c. IX. n. 8.*

V. In Ecclesia tantum utendum.

Vd.: *Pallium* (infra missam etc.; ubi et quando? etc.; traditio extra urbem; functiones et dies etc.; sensus mysticus.)

VI. Episcopis concessum.

Hadrianus II. PP. Actardo Episcopo Ecclesiae Hamneticae.

Decus Pallii pro Dei solius amore, quem inter furentium paganorum manus et gladios confessus es, praevidimus concedendum. Quo videlicet pallio, cum fueris auctore Deo nostroque decreto aliquem vacantem adeptus Episcopatum, scias nobis eidem testabiliter incardinatum; vel si contigerit forsitan in proprio, caeteris valeas uti temporibus. Quod non aliter tibi nec cuilibet absque Metropolitans concederemus, nisi multoties exilia, mare, vincula passo, etiam ad capitalem sententiam frequenter tracto, teste tuo Metropolitano, qui et id nobis literis innotuit et tibi spem in sede propria non superesse significavit; hoc tua ad celerrimae consolationis solatia tanta exigent detrimenta, quin potius merita, ut videlicet habeas pro exilio et catena pallii ornamenta, non in tuae Ecclesiae perenne decretum, sed ad tuum certo tempore vitaeque praesentis specialiter usum. Utere igitur annuente Deo pallio in nobis tibi solo miseracionis et consolationis affectu collato, et nisi sedis apostolicae praesulibus ingratus extiteris, praenotato

tenore illius, dum vixeris ornare decore. Quod tamen fraternitati tuae ad missarum solemniam tantum celebranda concedimus in die dumtaxat sanctae ac venerandae Domini nostri Jesu Christi resurrectionis ac natiuitatis seu ascensionis die et in assumptione beatae Dei genitricis semper Virginis Mariae, seu in natalitiis beatissimorum Apostolorum, sive in natiuitate S. Joannis Baptistae, nec non et in natali sancti Christi confessoris Martini die, pariterque in solemnitate Ecclesiae tuae die, verum etiam et in ordinationis tuae natalitio concedimus die, sicuti a beatissimo praedecessore nostro Gregorio hujus apostolicae sedis praesule sancitum est. Die 25. Febr. 868.

(Bull. r. t. I. p. 331. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Joannes VIII. PP. Episcopo Ticinensi (Papiensi).

Sancimus apostolica auctoritate largiendo tibi tuisque successoribus crucem habere et quoquo volueris ferre; pallium quoque similiter concedimus, necnon album equum coopertum equitare in ramis palmarum et secunda feria post Pascha.

Die 24. Aug. 878.

(*Ibid.* p. 352.)

S. Leo IX. PP. Hartwico Episcopo Bambergensi.

Ad missarum solemniam celebranda fraternitati tuae pallium transmittimus, quod antecessoribus tuis numquam ante concessum modo tibi primo concedimus rogatu dilectissimi filii nostri imperatoris Henrici, et pro veneratione antecessoris tui piae memoriae Dom. PP. Clementis et pro memoria Henrici imperatoris primi, praefatae Ecclesiae constructoris benignissimi; quo tibi ter in anno uti permittimus, salva aucto-

ritate domnae metropolitanae Moguntinae Ecclesiae: scilicet in die S. Resurrectionis et in natalitiis Apostolorum Petri et Pauli et in solemnitate S. Dionisii, eo quod tunc anniversarius dies celebratur Domini PP. Clementis supra memorati, hancque diem sanctam apostolica auctoritate statutum celebrem esse per totum Episcopatum; cujus quoniam indumenti honor modestia actuum in veritate seruandus est, hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta convenienter quatenus auctore Deo, recte utrobique possis esse conspicuus.

Anno 1052.

(*Ibid.* p. 624.)

Victor PP. II. Episcopo Winimanno Ebredunensis Ecclesiae.

Hujusmodi nostri privilegii tenore concedimus et confirmamus tibi usum sacri pallii secundum antiquam consuetudinem praedecessorum tuorum, qua conueverunt eo uti in subscriptis solemnitatibus juxta privilegia nostrorum antecessorum illis indulta antiquitus, scilicet in die sancto Paschae, in die Ascensionis Domini, in die sancto Pentecostes, in Natiuitate Domini Nostri Jesu Christi, in Epiphania Domini, in Coena Domini, in Assumptione B. Mariae semper Virginis, in natalitiis omnium Apostolorum, in festo omnium Sanctorum, in festiuitate S. Marcellini praefatae civitatis Ebredunensis Archiepiscopi, in dedicatione principalis Basilicae B. Mariae semper Virginis, in consecratione Episcoporum, in ordinatione Presbyterorum et Diaconorum, sabbatis jejuniorum et quatuor temporum, et in consecrationibus novarum et principalium Basilicarum. Quin etiam ad supplementum beneficentiae apostolicae atque archiepiscop. insigne, *Crucis Dominicae vexillum ubicumque jus in parochia tua et in*

parochiis suffraganeorum tuorum concedimus et sancimus apostolicae auctoritatis privilegio, bajulari ante te. Porro pallio sacro ita te uti volumus, ut diligenter atque vigilanter perpendas, quod tuae fraternitati imminet agendum; *usus illius scilicet inter alia, ut carnem tuam crucifigendam cum vitis et concupiscentiis, stigmata Jesu Christi cum Paulo Apostolo in corpore tuo portes, et semper mortificationem illius in pectore et scapulis circumferas, non ad aliquod ostentationis tuae et singularis excellentiae indicium, sed ad demonstrandum causa commemorationis et imitationis ovibus tibi commissis Salvatoris nostri venerabile signum, qui ineffabili pietate ovem centesimam in humeris suis reportavit.*

Anno 1056.

(Bull. r. t. I. p. 638. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Urbanus PP. II. Daiberto Pisanorum Episcopo.

Pallium fraternitati tuae, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ex apostolicae Sedis liberalitate concedimus, quo jure ecclesiastico tantum ad missarum celebranda solemniam tibi ac successoribus tuis uti licebit iis tantum, qui subscripti sunt, diebus solemnibus, id est Natiuitate Domini, Epiphania, Hypapanton, Coena Domini, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, tribus solemnitatibus sanctae Dei Genitricis ac Virginis Mariae, natalitiis S. Joannis Baptistae ac sanctorum Apostolorum, commemoratione omnium Sanctorum, consecratione Basilicae et Suffraganeorum Episcoporum ac Clericorum, et annuo natalitii tui die, in solemnitate etiam beati Martyris atque Pontificis Sisti, cujus indumenti honor efficaci actuum vivacitate seruandus est. Ejus ergo te volumus per

omnia genium vindicare. Hujus enim indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota igitur mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem et in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, amicis bonis, perversis contrarium, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, misericordiae operibus juxta virtutem constantiae insistens, et insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, benevolentibus congaudens, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis saeviens, in fruendis virtutibus auditorum animum demulcens, in iracundia animi sine ira terrens. Hoc est, frater charissime, pallii accepti dignitas, quam si sollicitè servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Die 27. Apr. 1092.

(Bull. r. t. II. pag. 142. Ed. Aug. Taurin. 1859.)

Episcopo Warmiensi et Sambiensis conceditur Pallii et crucis praeferendae usus.

Benedictus PP. XIV.

Nos eundem Adamum Stanislaum Episcopum Warmiens. et Sambiens. specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus aliorumque de hac apostolica Sede bene mereri pergendum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praesertim quod Warmiensi et Sambiensis Episcopus Sacri Romani im-

perii princeps sit, et Warmiensi et Sambiensis Ecclesiae invicem perpetuo canonice unitae Sedi apostolicae praedictae immediate subjectae existant, ipsi Adamo Stanislao moderno ac pro tempore existenti Episcopo Warmiensi et Sambiensis *usum pallii in solemnitatibus per sacros canones praescriptis celebrandis et crucis ante se praeferendae per Warmiensem et Sambensem civitates et dioeceses dumtaxat, et non alibi omnino, sive in alienis dioecesibus sive in regni et sacri Romani imperii praefati comitiis, sive in quibuscunque aliis locis Episcopo praefato non subjectis, nec etiam de ordinarii loci licentia, nec etiam in civitatibus et dioecesibus Warmiensi et Sambiensis praesentibus vel quolibet dilecto filio nostro S. R. E. Cardinali vel quolibet nostro et ejusdem Sedis ordinario vel extraordinario Legato aut Nuntio, sub gratiae et concessionis hujusmodi nullitate aliisque ad nostrum et Sedis praefatae arbitrium moderandis et infligendis poenis, et dummodo quoad pallium tam dictus Adamus Stanislaus Episcopus, quam quoties ipsum et Episcopum hujusmodi pro tempore existentem viam universae carnis ingredi contigerit, ipse Adamus Stanislaus et toties novus Episcopus illud ab eadem apostolica Sede, servatis de jure vel consuetudine servandis, postulaverit et de corpore S. Petri apostolorum principis sumptum a Romano pro tempore existente Pontifice, juxta praescriptas sanctiones acceperit, et omnia, quae cum Archiepiscopis pallia traduntur, servari solita sunt, omnino serventur, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.*

Datum Romae die 17. Apr. 1742.

(Bull. Bened. XIV. t. III. pag. 568. Romae 1753.)

Benedictus PP. XIV. Episcopo Herbipolensi.

Inter praecipua Sacerdotalis honoris insignia, quibus diversae per Orbem Ecclesiae earumque Antistites ab Apostolica Sede decorari meruerunt, et Sacri Pallii usus et jus praeferendi Sanctissimae Crucis signi merito numerantur. Illud siquidem a Romano Pontifice vel ex ejus auctoritate dumtaxat, solemniter benedictum et prope Corpus Beatissimi Apostolorum Principis religiosa cura adservatum, indeque ad enixas postulantium Antistitem preces desumptum, si cui utendum induendumque conceditur, peculiare quoddam sacri foederis vinculum inter ipsum et Romanum Pontificem, ejusdem Beati Petri Successorem, specialis Sacramenti interpositione firmatum significat. Cumque ipsum Pallium ex ovium velleribus contextum sacri Pastoris humeris gestetur, ovis illius speciem repraesentat, quam Dominus aberrantem requisivit inventamque humeris suis sustulit, ut Episcopus, qui Christi typum gerit, ejusque munere fungitur, ipso etiam habitu illius boni Pastoris imitatore se exhibeat, qui ovium suarum infirmitates, admirando pietatis et misericordiae excessu, portavit. Crucis autem erectae delatio non solum Pastoralis Officii vim auctoritatemque ostendit, ex illius potestate derivatam, *qui crucifixus ex infirmitate, sed vivens ex virtute Dei*, Ministros suos contra omnes adversarias potestates invictae Crucis signo armavit, verum etiam ipso sui conspectu Episcopalis praedicationis summam fidelibus populis ob oculos ponit, sublatoque ad eorum solamen Fidei nostrae vexillo, aeternae salutis spem credentibus ingerit.

Motu proprio et certa scientia eundem Carolum Philippum Episcopum a quibusvis suspensionis et interdicti

aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendam, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eidem Carolo Philippo, ut ipse et ejus Successores Ecclesiae Herbipolensis Praesules pro tempore existentes de caetero perpetuis futuris temporibus sacrum Pallium in solemnitatibus et functionibus in Pontificali Romano descriptis induere et gestare *ac etiam Crucem ad instar Archiepiscoporum ante se elevare et gestare facere in dicta Herbipolensi civitate et dioecesi dumtaxat, et non alibi omnino, sive in alienis dioecesibus sive in sacri Romani imperii comitiis, sive in quibusvis aliis locis Episcopo praefato non subjectis, etiamsi Ordinarios locorum licentia ad id accederet, nec etiam in dicta civitate et dioecesi Herbipolensi in praesentia alicujus ex S. R. E. Cardinalibus vel Nostri et ejusdem Sedis Apostolicae ordinarii aut extraordinarii Legati seu Nuncii vel Archiepiscopi Moguntini, nisi de eorum respective consensu, sub gratiae et concessionis hujusmodi nullitate, et dummodo, quoad Pallium praedictum, tam ipse Carolus Philippus quam illius Successores Herbipolenses Episcopi pro tempore eligendi, illud ab eadem Apostolica Sede, servatis de jure vel consuetudine servandis postulare et consueto fidelitatis debitae Sacramento edito, accipere aliaque in similibus observari solita adimplere teneantur; ac denique, salvo in omnibus jure Metropolitico Ecclesiae Moguntinae, illiusque Archiepiscopi pro tempore existentis, et nihil immutato praecedentiae ordine inter ipsos Episcopos Herbipolenses aliosque Episcopos sive ejusdem sive alterius Provinciae, hactenus de jure, usu aut consuetu-*

adolebit deindeque pronuntiabit super ea preces et benedictiones juxta formulam inferius statuendam.

Peracta demum Benedictione eadem s. Pallia includantur arculae argenteae auro obductae, quam semper in ipsa confessione B. Petri ap. et prope s. illius Corpus in loco ad id designato asservari mandamus, quamque ad hunc effectum exquisito caelaturae opere nostro sumptu conflata nuper eidem B. Apost. Principi reverenter obtulimus. Volumus autem, ut hujusmodi arculae cura et custodia spectet ad ipsius Basilicae Canonicum Altaristam pro tempore existentem; illius vero clavis a primario Pontif. Caerem. Magistro retineatur.

Denique attendentes, quo ritu hujusmodi Pallia a Card. S. R. E. Diaconorum Priore absentium Patriarcharum seu Archiep. Procuratoribus traduntur, animadvertimus ipsos Procuratores juramentum praestantes juxta antiquam formulam plura promittere, quae nec omnino his temporibus integre adimpleri nec sine perjurii crimine negligi posse videntur. Quapropter volumus et statuimus, ut hujusmodi juramentum deinceps a Procuratoribus praedictis alia forma praestetur inferius inserenda praesentibus Literis, quas quidem cum omnibus in iisdem statutis atque praescriptis semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore et ab omnibus, ad quos pertinet et pertinebit, plenissime observari decernimus.

Non obstantibus quibuscunque.

Formula

Precum ad benedicenda Pallia.

Benedicens ipsa Pallia ter aspergit aqua benedicta dicendo Antiph.: *Asperges etc.* ac ter Incenso adolet; deinde dicit:

Ÿ. *Adjut. N. in Nom. D.*
R. *Qui fecit coel. et terram.*
Ÿ. *Dom. vobiscum.*
R. *Et cum Sp. tuo.*

Oremus.

Deus Pastor aeternae animarum, qui eas ovium nomine designatas per J. Chr. fil. tuum b. Petro ap. ejusque Successoribus boni pastoris typo regendas commisisti atque ipsis s. Vestium symbolis pastoralis curae documenta significari voluisti, effunde per ministerium nostrum super haec Pallia de BB. Ap. Principum altari sumpta copiosam benedictionis et sanctificationis et tuae gratiam, ut quam mystice repraesentant pastoralis officii plenitudinem atque excellentiam pleno quoque operemus effectu. Humilitatis Nostrae preces benignus excipe atque eorundem apost. meritis et suffragiis concede, ut quicumque ea telargiente gestaverit, intelligat se ovium tuarum pastorem atque in opere exhibeat, quod signatur in nomine. Sit boni magnique illius imitator pastoris, qui errantem ovem humeris suis impositam caeteris adumavit, pro quibus animam posuit. Sit ejus exemplo in custodia gregis sibi commissi sollicitus, sit vigil, sit circumspectus, ne qua ovis in morsus incidat fraudesque luporum. Sit disciplinae zelo strictus, quod perierat requirens, quod alienum reducens, quod contractum alligans, quod pingue et forte custodiens. Videat humeris suis impositam crucem, quam filius tuus proposito sibi gaudio sustinere non recusavit; sitque illi crucifixus mundus et ipse mundo. Tollat injectum collo suo evang. jugum sitque ei ita leve et suave, ut in via mandatorum tuorum caeteris exemplo et observatione praecurrat. Sit ei hoc symbolum unitatis et cum ap. Sede communionis perfectae tesserat, sit charitatis vinculum, sit di-

vinae hereditatis funiculus, sit aeternae securitatis pignus, ut in die adventus et revelationis magni Dei pastorumque Principis J. Christi cum ovibus sibi creditis stola potiatur immortalitatis et gloriae. Per eundem etc.

Formula juramenti, quod Procuratores absentium Patriarcharum, Archiep. aliorumque, quibus Pallium a R. Pontifice concessum fuerit, praestare debent in manibus Card. S. R. E. Diaconorum Prioris pro tempore existentis, dum Pallium ipsum ferendum seu transmittendum suscipiunt, talis est:

Ego N. Procurator et procurator nomine et pro parte Revdss. in Christo Patris et Domini N. electi Ecclesiae N. instanter, instantius et instantissime peto mihi tradi et assignari Pallium de Corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii et promitto illud reverenter portare vel portari facere eidem Revdss. Patri D. N. Sic me Deus adjuvet et haec s. Dei Evangelia.

Datum Romae die 12. Aug. 1748.

(Bull. r. t. XVII. p. 274 vel Bull. Bened. XIV. t. II. p. 494; *Catalan.* (sacr. Caerem. Ecclesiae rom. t. I. p. 341.)

Ex Caerem. Ecclesiae romanae.

(*Catalanus t. I. p. 341.*)

De Pallio et quomodo traditur.

Promoti ad Metropolitanas seu Patriarchales Ecclesias, etiamsi sint consecrati Episcopi, appellantur Archiepiscopi. Neque Patriarchae nisi primum acceperint Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, sed electi ad illas Ecclesias et translati de una Ecclesia Metropolitana ad aliam, non possunt uti Pallio, quod acceperant in prima sua Ecclesia et minus Pallio Praede-

cessoris defuncti seu translati, sed oportet, quod de novo petatur Pallium et obtineatur et interim non possunt ordinare, neque consecrare, Synodum celebrare nec alia pleraque Pontificalia exercere. Debent autem petere Pallium per se vel Procuratorem intra tempus sex mensium. Sunt et quidam Episcopi, qui ex indulto Apostolico Pallio utuntur, ut Lucensis in Tuscia, Papiensis in Lombardia, Bambergensis in Germania et si qui alii, quo uti debent intra suas Ecclesias diebus et modo in privilegio a Sede Apostolica illis concessis. Cura conficiendorum et conservandorum Palliorum ad Subdiaconos Apostolicos pertinet, qui ex lana munda et alba illa hoc pacto conficiunt. Sanctimoniales Monasterii S. Agnetis vel Religiosi, qui sunt in illa Ecclesia, offerunt quotannis agnos duos albos super Atlare illius Ecclesiae in die festivitatis Sanctae Agnetis, dum in Missa solemniter cantatur *Agnus Dei*. Qui agni recipiuntur a duobus Canonicis Ecclesiae Lateranensis et ab eis postea consignantur Subdiaconis Apostolicis, qui agnos ipsos in pascha mittunt, quoad veniat tempus tondendi ipsos agnos opportunum. Ex his agnis lana tondetur, quae mixta cum alia lana alba et pariter munda reducitur in filium, ex quo Pallia hujusmodi contextuntur latitudine digitorum trium, redacta in orbem ita ut humeros Praesulum ambient; a pectore et renibus particulam pendentem habet Pallium longitudinis palmi et semis et in ejus extremitatibus laminas plumbeas tenues ad parem longitudinem in fine orbiculatas nigro serico textas. In ipso orbe Cruces quatuor insutas supra pendentes particulas ante et post et super humeros utrosque. Sic confecta Pallia ex eodem nigro*) serico per

*) Verba „ex eodem nigro serico“, leguntur quidem in Romana editione, sed considerantur in Veneta I.

Subdiaconos portantur ad Basilicam Principis Apostolorum, sub Altari majore, ubi factis ex more vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde restitunt Subdiaconis, qui in loco honesto ea conservant. *Usus autem Pallii hujusmodi*, in quantum potuimus explorare, antiquissimus est et a Lino Pontifice Petri Apostoli immediato Successore habuit originem; ita enim scriptum legimus a Maximo Episcopo in Homilia de Veste Sacerdotali: „In Lege gratiae antiquum est illud nostrum Ephoth (id est Pallium) quod nostri Patriarchae arbitrantur a Lino post Petrum secundo Romano Pontifice institutum et in singulare potestatis privilegium nostris Deo plenis Praesulibus datum.“ Et Eusebius Caesariensis in Sermone de Epiphania scribit: „Nihil antiquius Veste illa Sacerdotali Archipraesulis nostri, quae illi vesti de Veteri Testamento successit Ephoth bysso auroque contextae, qua in signum plenissimae potestatis primus Linus amictus est, cui et typum dedit et nomen, ut a veteribus accepimus Scriptoribus, quam appellavit et Pallium.“ Cum autem aliquis Praelatus indiget Pallio, illud primo per quempiam ex Advocatis Consistorialibus Procuratorem ab eo ad hoc specialiter constitutum a Summo Pontifice in Consistorio *instanter, instantius et instantissime petitur*. Pontifex, excluso Advocato, exquirat Patrum sententias: an dandum sit Pallium, deinde committit Priori Diaconorum, ut Pallium Praelato vel ejus Procuratori assignet; expediuntur super ea re Litterae Apostolicae in forma consueta et Prior Diaconorum Cardinalium imponit locum et diem, ubi et in quo Pallium consignare debeat. Id plerumque fieri solet in domo ipsius Cardinalis in sua Capella, interdum autem in Ecclesia Sancti Petri et super majus Altare et valde condecorat, maxime

pro maximis Ecclesiis et ultramontanis et ita vidi servari a Reverendissimo Domino Cardinali Senensi Priore Diaconorum. Statuta die Praelatus, si est praesens vel ejus Procurator in absentia cum speciali mandato, venit ad locum ordinatum. Adsunt Dominus Prior Diaconorum Cardinalium et Subdiaconus Apostolicus cum ipso Pallio, qui Pallium explicat super medium Altaris. Praelatus, si est praesens, indutus super Rocchettum sive Superpelliceum Planeta, genuflexus in gradu Altaris ante Priorem Diaconorum stantem in cornu dextro Altaris, ubi legitur Evangelium, petit sibi dari et consignari Pallium his verbis: „Ego N. electus Ecclesiae N. instanter, instantius et instantissime peto, mihi tradi et assignari Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii.“ Tunc Dominus Prior Diaconorum accipiens Pallium de Altari, imponit illud super humeros Praelati genuflexi, dicens: „Ad honorem Omnipotentis Dei et Beatae Mariae semper Virginis atque Beatorum Apostolorum Petri et Pauli nec non Ecclesiae N. tibi commissae tradimus tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii cum Patriarchalis vel Archiepiscopalis nominis appellatione, ut et utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimentur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen“; et illud cum Subdiacono aptat, non tamen infigit spinulas et recipit illum ad osculum pacis. Demum Clericus Caeremoniarum extrahit illi Pallium et advocatis testibus rogat se de illo actu, plicat Pallium et illud portat ad dictum Praelatum vel illud reservat in loco sacro, quoad Praelatus recedat et tunc dat illi Pallium cum publico instrumento. Vidi etiam, cum essem Minister Caeremo-

niarum, Sixtum Papam Quartum manibus propriis dedisse Pallium Patriarchae Constantinopolitano Hieronymo Lando Veneto tunc Archiepiscopo Crentensi, quod tamen, ut arbitror, non puto concedens esse, cum traditio Pallii proprie ad Diaconum spectet; et ipsi Romano Pontifici in sua Coronatione et Consecratione nemo imponit Pallium nisi Prior Diaconorum. *Si autem Pallium tradendum sit Procuratori in absentia Praelati*, Procurator indutus Superpelliceo genuflectit, ut de Praelato diximus, et petit Pallium et jurat in hanc formam: „Ego N. Procurator et procuratorio nomine et pro parte Reverendi in Christo Patris et Domini Domini N. Electi Ecclesiae N. instanter, instantius, instantissime, peto, mihi tradi et assignari Pallium de Corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii et promitto illud reverenter portare eidem Reverendo Patri Domino N. nec pernoctabo in aliquo loco, nisi una nocte tantum, nisi praepeditus fuero legitime et tunc in Cathedrali ipsius, et si non fuerit Cathedralis, in Collegiata; et si non fuerit Collegiata, in Parochiali Ecclesia remittam et honorifice reponam. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.“ Diaconus autem Cardinalis accipiens Pallium de Altari imponit illud super humeros Procuratoris, dicens: „Ad honorem Omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Domini nostri Papae ac Sanctae Romanae Ecclesiae assigno tibi Pallium de Corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo officii, cum Archiepiscopalis nominis appellatione, nomine et pro parte Reverendi in Christo Patris Domini N. et Ecclesiae N., ad quam electus est, ut eo utatur intra Ecclesiam suam certis diebus, qui exprimentur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis.“ Et in fine Procurator osculatur illi manum et rogat Clericum

Caeremoniarum et petit instrumentum. Clericus extrahit illi Pallium, plicat et reportat et conservat in loco sacro, quousque Procurator sit discessurus et tunc dat illi Pallium et instrumentum in publica forma. Qui Pallium sunt accepturi, postquam fuit petitum in Consistorio et concessum, componunt primum cum Subdiaconis, nam illi, ut diximus, tenent Pallia. *Qui accipiunt secundum valorem et taxam Ecclesiae aliquando plus aliquando minus pro centenario*. Et quia vidi varios usus et nihil firmi statutum legi, de quota nihil dicam. Clerici Caeremoniarum et ipsi ratione officii sui et instrumenti mercedem suam exigunt etiam ad proportionem taxae et valoris Ecclesiarum, non tamen tantum, quantum Subdiaconi. Solent etiam, qui Pallium accipiunt, Diacono Cardinali duo bireta et totidem suis Camerariis dono dare; antiquitus dabant, ut legi, vinum album et species; portabunt etiam duas fasculas cereas, quae ardeant super Altare, dum Pallium traditur, et sericum ad induendum Pallium, cum quo illud ad Ecclesiam suam deferunt.

III. Defuncti Archiepiscopi etc.

Vd.: *Param. Episcopi* (post mort. quibus induit.).

Post obitum debent Archiepiscopi cum Pallio sepeliri; siquidem sepeliantur in Provincia sua, circa humeros supra planetam, si vero extra Provinciam, ponendum erit Pallium plicatum sub eorum capite. *Caerem. Ep.* l. I. c. XVI. n. 7.

Quia Pallium est personale, ideo commodari non potest neque in morte alicui relinqui, sed Patriarcha vel Archiepiscopus cum eo sepeliri debet. *Pontif. rom.*

Vd.: *Pallium* (ubi et quando utendum?, Bened. et tradit. — ex Caerem. Eccles. rom. —).